



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CLIII. Argumentum. Perquiruntur, & examinantur viginti quatuor peccata Patrum, ac Matrum familias occasione filiorum. Quibusvè rationibus suadendi sint ad benè educandos Filios?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

oculos avertere, & præcipuè à Piëturis obscenis, è quibus prodeunt turpes cogitationes in corde, juxta illud; *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Job. 31. 1.* Referatur exemplum Piëtoris in Purgatorio existentis, qui vix evasit infernum, ob depictam inhonestam imaginem, de quo P. Menochius in *Oeconomico. l. 3. cap. 2. num. 4.*

31. Duodecimum: Veram, & constantem devotionem, ac fiduciam habere in DEIPARAM Clementissimam Dominam, ac Advocatam nostram; tum, ut puro corde in hac vita vivamus: Est enim ipsa Mater pulchra dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei, & flores ejus fructus honoris, & honestatis. *Eccl. 24. 23.* tum, ut in puncto mortis à tentationibus Diaboli liberemur, & æternam vitam consequamur; ut testatur Divus Bernardus *serm. 4. super Missus est, ita dicens: Per te, ò Genetrix Beata, cælum repletum, infernis evacuatus est, instaurata ruina cœlestis Jerusalem, expectantibus miseris vita perditæ data. Sic potentissima, & piissima Charitas, & affectu compatienti, & subveniendi abundat effectu, aequè locuples in utroque. Certum est enim, Deiparam non deferere in morte devotos suos; nam Qui EAM invenerit, inveniet vitam. Prov. 8. 34.*

D E C I S I O CLIII.

A R G U M E N T U M.

Perquiruntur, & examinantur viginti quatuor peccata Patrum, ac Matrum familias occasione filiorum. Quibusvè rationibus suadendi sint ad bene educandos Filios.

S U M M A R I U M.

1. Conjuges cupientes filios non generari peccant.
2. Conjugum peccata in usu Matrimonii.
3. Abortus ex inadvertentia præquantum.
4. Infanticidia ex negligentia Matrum.
5. Infantes ex nimio lacte Matris suffocati.
6. Matres dantes filios lactandos alijs mulieribus an peccent?
7. Matrum nobilium lactantium suos filios exempla.
8. Matrum officium lactare filium.
9. Lactare filios etiam matres vilis conditionis recusant.
10. Matrum peccata filiolos importunos in Ecclesiam deferentes.
11. Parochitacentes, etsi filioli tempore Missæ sine obstrepentes.
12. Amor nimius genitorum in filiolos peccaminosus.
13. Marris prudentis dictum de filioli suis.
14. Genitorum culpa non docentium filios timorem Dei.
15. Fidei articuli explicandi per Parentes filiis.
16. Puerorum facinora à genitoribus laudata.
17. Maledicentes filios suos peccant.
18. Pueri Diabolum nominantis ad omnia, Exemplum.
19. Filiorum energumenum ob imprecationes parentum.
20. Fratres, & Sorores non permittendi simul dormire, & num. 57.
21. Salomon annorum 12. genuit filium Roboam.
22. Fratris, & Sororis Matrimonium.
23. Filii à genitoribus in proprio lecto non tenendi.
24. Puer decennis coit cum nutrice.
25. Parentum vitia scandalizant filios.

26. Homicidiorum quatuor causa malum exemplum Patris.

27. Puella non permittenda cum amatoribus loqui.

28. S. Antonini visio de Angelis, mox de Dæmonibus super domo trium adolescentularum.

29. Matrum peccata ornantium filias.

30. Ducentium illas ad Choreas, & amores.

31. Asperitas nimia genitorum in filios peccaminosa.

32. Divites filios ut relinquunt, peccant parentes.

33. Clericali vita filios indignos genitores applicantes peccant.

34. Parochi occisi à suo Capellano tragicus Casus.

35. Religionem filii, filiaque ob parentum vim ingredientes.

36. Moniales invita jugiter cum Jephre descentes.

37. Maritantes genitores filias quando peccent?

38. Matrimonium cur indissolubile?

39. Lacedæmones puniebant genitores filios delinquentibus.

40. Genitorum obligatio bene educandi filios.

41. S. Wenceslai educationis, ejusque fratris Boleslai differentia.

42. Genitores jus à Deo castigandi filios suos habent.

43. Mater dimidium filiorum.

44. Matrum sanctè educantium filios, exempla.

45. Pueritia tempore instruendi filii in bono.

46. Curulorum educationis discrimen.

47. Eclypses Solis mala, atque de mane pessime.

48. Filia desolata apud Hebræos cur ante domum paternam lapidaretur?

49. Filiorum vitia Parentibus deferenda.

50. Angelos cur Deus creavit in instanti; homines successivis temporibus?

51. Pater aequè, ac Mater, debet filios devotè educare.

52. Parochi negligentes docere doctrinam Christianam puniuntur ab Episcopo; qui & genitores excommunicare potest.

53. Diabolus exultans ex negligentia Parochorum.

54. Sale olim infantes aspersi.

55. Correctio Paterna suaviter facienda.

56. Exemplum bonum dent genitores filiis, & num. 58.

59. Indolentia Cæli, ac Terra ob filios malè educatos.

60. Oculi è capite adulterantium eruti. Et cur?

61. S. Antonius Abbas mulieri pulsanti noluit aperire.

62. Monstra cur nascantur in Africa?

63. Conversare cum feminis periculosum.

64. Stultitia, & Amor inseparabiles.

65. Turcæ, & Mahometani diligentissimi in custodia mulierum.

Dixere: Multifariam, multisque modis Conjuges peccare occasione prolium; præcipuè sequentibus ex causis.

Primo; Desiderantes non habere prolem ad effugiendum onus illam educandi; est enim contra unum ex finibus principalibus Matrimonii; undè ait Tertullian. *Homicidii festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam quis eripiat animam, an disturber nascentem. Apolog. cap. 3.*

Secundo; In petitione, seu redditione debiti conjugalis talia exercentes, qualia pudicas aures dedecent Confessoriorum, præsertim accedentes præposterè; si mulier sit incuba; aut menstruorum tempore, vel ita partui proxima, ut ipsi moraliter obfuturus sit carnalis congressus; de quibus peccaminosis actibus tractant Moralistæ; Sanchez de Matrim. lib. 8. dist. 1.

spirit. 9. & plur. seqq. Gobat. de Matrim. tract. 10. a num. 476. cum seq. Diana Coordin. tom. 2. tract. 6. a resol. 180. & seq. Videantur meæ Decisiones de Penitentia decis. 27. num. 12. & 13.

3 Tertiò: Abortum committentes, etsi non data opera; sed culpabili inadvertentia, vel malitia. Exempli gratia dum uxor prægnans sustollit pondera, quibus caufatur Abortus; vel maritus calce, aut pugnis eam impetit more belluino, iuxta illud: Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psal. 48. 13. Et hujus facinoris reus fuit Novatus hæresiarcha; de quo S. Cyprianus scripsit lib. 2. Epist. 8. Et damnare nunc audeat Sacrificantium manus, cum sit ipse nocentior pedibus, quibus filius, qui nascetur, occisus est.

4 Quartò: Post partum tenentes parvulos editos in proprio lecto absque ulla cautela, cum periculo suffocationis, & infanticidii; quod crimen utinam frequenter non eveniret; cuius testes sunt Confessarii & quamvis sit casus reservatus; & in aliis Diocesis sit adjecta excommunicatio contra Patres, & Matres detinentes recenter natos in lecto, parum vel timetur, vel obeditur, tum ex incuria Parochorum non inculcantium hoc præceptum in suis concionibus ad populum: tum ex malitia ipsorum genitorum, ac Matrum præcipue, quæ ob frivolas excusationes pauperatis, vel frigoris (verè autem ut minus incommodum sentiat) volunt audacter in lecto retinere infantes absque cautione; itaut de illis dicendum sit, quod allegant quidem excusationes, sed ad excusandas excusationes in peccatis. Psal. 140. 4.

5 Quintò: Peccant Matres in lactando infantes; plures enim illarum habent ubera ita lacte abundantia, ut papilia in ore infantis, & sugentis immissa, finentes se a fomno rapi, puer ex nimio lacte suffocetur, cui ex compassione dicendum foret; Quare mater tua leana? Ezech. 19. 2.

6 Sextò: Sed plurimæ matres nobiles graviter in obligatione deficiunt non lactantes proprios filios, sed illos nutricibus lactandos tradentes, quæ quidem nutrices sæpe sæpius malis moribus imbutæ, & malo lacte (vel ex occulta earum conceptione vel occultiori morbo gallico, aut alia sanguinis impuriat) infantulos cibantes, eosdem ita male affectos reddunt tum in animo, tum in corpore; ut vix adhibeatur remedium. Et ideo hæc matres non sunt à peccato immunes; est enim contra naturale præceptum, scetas matres statim se lacte privare, ut incontinentiæ operam navent; cum natura easdem genitrices lacte ditet, & donet, ut foetus suos nutrant. Neque eas tuetur à culpa universalis consuetudo; quia damnatur in Jure tanquam prava per text in cap. Ad ejus dist. 5. ubi sic: Ad ejus verò concubitus Vir suus accedere non debet, quousque qui gignitur, ablaetetur. Prava autem consuetudo in conjugatorum moribus irrepit, ut filios suos, quos gignunt, nutrire mulieres contemnunt, eosque ad nutriendum aliis mulieribus tradant. Quod videlicet ex sola carnis incontinentia videtur fuisse inventum, quia dum se continere nolunt, desciunt lactare quos gignunt. Certe videntur crudeliores feris, quæ tanto amore nutriunt prolem suam; de quibus scriptum est: Lammia nudaverunt Mammam, lactaverunt catulos suos; filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Thren. 4. 3. Non ita fecit Sara uxor Abraham, quamvis dirissima, quæ ipsamet voluit lactare Isaacum, quem pepererat. Gen. 21. 7. Non ita Anna Mater

7 pueruli Samuelis, quem & ipsa lactavit. 1. Reg. 1.

Non ita Mater Machabæorum, quæ juniore filio, martyrio proximo, dixit: Te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi. 2. Mach. 7. 27. Non ita Hecuba Trojana Regina, quæ Hectorem lactavit. Homer. lib. 22. Iliad. Non ita Regina Thessalonica, quæ Regem filium Antipatrum propriis uberibus aluit. Justinus lib. 16. in princip. Non ita Penelope, quæ allactavit Telemachum. Homer. in Odiss. Non ita Mater Honorii Imperatoris, à qua fuit lacte materno alitus. Claudian. in Panegy. 4. Audiant hæc matres delicatæ S. Ambrosii in lib. 3. de Abrah. cap. 7. Provoquantur semina meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos: hæc enim matrum gratia, hic honos, quo se propriis commendent viris. Quapropter frivola est exculatio Matrum nobilium se scilicet subtrahere à lactanda prole ne dedecus incurrant; siquidem nulli mulieri, etsi nobili, aut Heroinæ, potest esse dedecori lactare filium, quem novem menses in penitissimis uteri recessibus aluit, & quem ex propriis visceribus eduxit: imò naturam offendit mater, recusans hominem viventem, & matris officia implorantem suo lacte nutrire, quem in utero lactentem sanguine aluit, ut docent DD. quos refert Barbosa in collect. ad d. cap. Ad ejus dist. 5. numer. 2. Tiraquell. de Nobilit. cap. 20. num. 78. Covarruvias in Epitome Decret. lib. 4. part. 2. cap. 8. s. 6. num. 13. Et novissimè pluribus relatis Narbona de Etate anno 3. quæst. 1. num. 13. ubi invehit contra hunc abulum; quem, (ah quanta ambitione!) illum prosequuntur etiam scemina ordinariæ conditionis, quarum mariti ne eas contristentur, vel cum illis venerei abundantius sint, quamvis facultatibus careant, imò neque pecuniam ad nutricis stipem dandam habeant, filiolos committunt alienæ nutrici, à qua modicum lac exhibetur, quia modicum exigitur salarium. Exaltent Parochi, quasi tuba vocem suam in Congregatione Patrum familias. Legant mea Erotemata de hoc abusu tractantia cap. 99. num. 18.

7 Septimò: Matres peccant, dum infantulos crescentes portant ad Ecclesiam, Sacrificii tempore; eosque constrepere sinunt vel Rosarium jactantes, vel vocem attollentes, vel si pedibus sint affucti, per Ecclesiam decurrentes, cum litantis Sacerdotis, & fidelium adstantium summo fastidio; quasi essent catelli irrationales; ut videretur innuere Job. 21. 11. illis verbis: Egrediantur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant iustibus. At culpa hæc est etiam Parochorum, qui zelo carent; satis illis vivere. Si reprehenderent, si objugarent has Matres, si eas docerent, vel puerulos domi tenere; vel ab initio eisdem innuere, in Templo, ubi Deus colitur, ubi Christus immolatur, ubi Angeli stant genuflexi; cum silentio, cum timore, & tremore immorandum, utique non esset abusus iste ubique communis.

8 Octavò: Peccant Genitores filios grandiores factos nimio amore prosequentes, & eosdem incipientes habere velle, & nolle, in omnibus, & per omnia contentantes; ac quasi Idolecta adorantes. 12 Quid ex hoc tenerrimo amore? Vel Deus punit genitores morte puerorum, ne plus amentur, quam ipse Deus, ut de Vitulo aureo fecit Moyse Exod. 32. Veli filiolus vivunt, & adolescunt, inobedientissimi evadunt, & in parentes insurgunt. Lacta filium, & paventem refaciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas: & in novissimo obsupestent dentes tui. Eccles. 30. 9. Audivi 13 prudentissimam quamdam Matrem ita dicentem;

Num.

Nunquam osculatus sum filios meos, postquam eos ablactavi, ut eos cum timore educarem.

Nono: Peccant Genitores, omittentes imbuere mentes filiorum reverentia, & timore Majestatis Divinae; neque eis de die in diem insinuantes, Deum super omnia esse timendum; Divina praecepta esse omnino servanda; potius moriendum, quam peccandum. Esse aeternam vitam post mortalem hanc, & quidem duo loca aeterna: Paradisum pro bonis, *Flammam Tartaream* pro malis Christianis. Ecclesias, Sacramenta, Sacerdotes summa veneratione colendos. Divinam Voluntatem, à cuius providentia omnia pendent, semper promptè amplectendam, tam in prosperis, quam in adversis; hæc enim si frequenter parvuli trini, quadrini, & in ulteriori ætate à parentibus audierint, & tanquam semina Christianæ pietatis in cordibus suis tenellis recipere, fructum timoris Dei redderent grandiores facti; ut scriptum legimus de Tobia, qui puerulum suum *Ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.* Tob. 1. 10.

Decimo: Delinquent Parentes non explicantes pueris suis mysteria fidei; neque eos ad Ecclesiam solliciti mittentes, aut potius associantes, ut à Parocho, aliisve eruditis Magistris discant Deum unum in essentia, Trinum esse in personis, Secundam Sanctissimæ Trinitatis personam carnem sumpsisse, virtute Spiritus Sancti, ex Maria Virgine; & in eadem carne Christum Dominum Deum, & hominem nos redemisse, mediante sua Sanctissima Passione, Morte, & Resurrectione. Ceteros Symboli articulos non declarantes, aliàsve partes Doctrinæ Christianæ, ut illam edificent; majorem curam animalium, & stabulorum, quam animarum gnatorum habentes; itaut de plurimis familiis verificetur quod de domo Herodis pronuntiavit Augustus Imperator, *profuisse magis, nasci suos, quam filios;* Macrobius Saturn. lib. 2. cap. 4. & quod ad populum inculcabat aureum os S. Joannis Chrysostomi: *Majorem asinorum, & equorum, quam filiorum curam habemus.* Homil. 60. in *Matth.*

Undecimo: Peccant Parentes approbantes vel furta filiorum, fructus, plantas, ova, forsan & alienas gallinas, vel oves domum deferentium: vel eorumdem filiorum ferocitatem, & manus violentas; adeo ut si audierint, ab ipsis aliquem saxi, vel pugnis percussum; laudent opus, & subdant, ne permittas ab aliquo te conculcari; in rixa esto prius in percutiendo. Sic ego faciebam, cum tuæ essem ætatis. Nullus me momordit canis, cujus pilis non mederer mihi. Non ita faciebat Tobias, qui audita voce hædi furto subrepti ait: *Reddite hæc Dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Tob. 2. 11. Non ita docebat Apostolus, qui imò dicebat genitoribus: *Educate filios vestros in disciplina, & correptione Domini.* Ephes. 6. 4.

Duodecimo: Reifunt genitores pueris suis maledicentes, nam *Maledictio Matris eradicat fundamenta domus.* Eccles. 3. 11. Filiolo sitiienti cum mater tandem dixisset, accipe, bibe Diabolum, statim energumenus evasit filius, quem nullus liberare potuit, nisi Sanctus Zanobius Archiepiscopus Florentinus, ut narrat in *eius Vita* Surius. Alius puerulus, satis simplex, qui erraverat à via, & nesciebat reverti domum, flebat; Viatores illum interrogant de nomine? Respondit, vocor *Diabolus.* Quærent, quis sit ejus Pater? Respondit *Diabolus.* Quæ Mater? ait *Diabolus.* Quæ sit

ejus domus? reiterat dicens domus mea est domus *diaboli;* sic enim pluries audivi patrem meum dicentem, & vocantem Matrem meam diabolum, & illam pariter appellantem Patrem meum diabolum, ac me ipsum diabolum, Marchantius in *Candelabr. tract. 8. Propos. 3.* S. Catharina Senensis dicebat Matri suæ: ne, quæso, Mater maledicas mihi, sed potius verbera me. In *eius Vita* Paul Frigerius lib. 1. c. 4. num. 3. Anno 1604. in Villa Tinafcie in Hispania filiola quædam maledicta fuit à Matre, dicente vade, & in te intrent tres Dæmones, & statim fuit oppressa à Spiritibus immundis, quorum egressum obtinuerunt merita SS. Ignatii, & Francisci Xaverii, ac Stanislai, ut notat Bartoli in *eius Beatæ Vita* cap. 14. Alia lugubria exempla maledictionum genitorum videantur apud Menochium in *Stoicis part. 1. cap. 53. & part. 4. cap. 86.*

Decimotertio: Gravis culpa est parentum, permittentium pueros diversi sexus, quamvis fratres, & sorores, in eodem lectulo dormire. Ait Ari-20 stoteles, filios in quarto, vel quinto anno ætatis somnia facere lib. 4. *Histor. Anim. cap. 10.* Narbona de ætate Anno 5. quæst. 1. Nos asserere possumus in hac ætate plures fieri capaces malitiæ. Igitur, omnino separandi. Salomon cum esset annorum duodecim genuit Roboam. S. Hierony-21 mus in *Epistola ad Vitalem.* Et Achaz Rex Judæ in eadem ætate filios habebat. In præfenti seculo, in Gallia frater, & soror in tenera ætate simul dormientes, tandem carnaliter simul copulati sunt; tantusque ardor reciproca libidinis in eis exarsit, ut abstinere ab hac incestuosa copula nescirent. Uterque ad licitas nuptias transiit; sed uterque fastidiens suum conjugem, convenerunt simul fu-22 gere, & incestuosa copula absque fræno potiri, quod perpetrarunt, donec in carcerem detrusi, ob adulterium, & incestum capite puniti fuerunt. Franciscus Rossetus *Hist. Tragic. exempl. 7.*

Decimoquarto: In culpa pariter gravi sunt Pater, & Mater, qui in proprio lecto dormire faciunt filiolos grandiusculos factos; multi enim, ex solutione debiti Matrimonialis eorumdem parentum, discunt actiones turpes, & carnales. Cu-23 riositas, secundum Sanctum Thomam, est prima egressio contra castitatem. Pueri audiunt, observant, ediscunt. Plures nascuntur cum dentibus. Plinius lib. 7. cap. 16. Et plurimi ab utero matris portant quandam specialem malitiam pro rebus venereis, juxta illud: *Erraverunt ab utero.* Psalm. 57. 4. Puer decennis, dormiens cum sua nutrice, eam fecit prægnantem, & seipsum Patrem Cælius Rhodigius lib. 14. cap. 8.

Decimoquinto: Peccant Parentes, permittentes vel se audiri à puerulis pronuntiantes verba obscena, res turpes, maledicta, & blasphemias; vel se videri quodcumque facinus perpetrantes; nam discunt, etsi tenelli, eadem dicere, vel facere. *Laderur quasi vinea in primo flore borvis ejus.* Job. 15. 33. Narrat Alianus lib. 13. *Var. Histor. cap. 2.* Quemdam Macaræum, Sacerdotem Idolorum, gladio dormientem hominem in suo cubiculo occidisse, aspicientibus duobus puerulis, quos occisor dormientes credebatur, & de quibus nil dubitabat. Ablato cadavere, & absente homicida, descendunt pueruli è lecto, dicentes faciamus & nos, quod Pater fecit. Unus se extendit, ac si dormiret, alius cum eodem gladio ictum in fauces infigit, & fratrem interemit. Mox venit mater & viso fratricidio, fratricidam irata ipsomet gladio transfodit. Deinde reversus Sacerdos Idolorum, tra-

latra, visis infanticidiis uxorem occidit. Ecce ab uno exemplo malo, quanti pessimi eventus?

- 27 *Decimosextò*: Delinquent Parentes, qui permittunt, ut filia adolescentes morentur in januis, vel in fenestris, ut viros aspiciant, seu à viris aspiciantur. Pessimum abusum, haud defendendum motivo maritum quaerendi. *Nequius oculo quid creatum est. Eccles. 31.* Nam visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum agnosceretur, & in palpebris illius, Eccles. 26. 12.* Pudicissima Judith juvenis in superioribus domus suae fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. Judith. 8. 5. Obligatio est Genitorum adolescentulas suas ita custodire, ut ab hominibus non aspiciantur. Oh modestae sunt, verecundae sunt, innocentes sunt. Ideo custodiantur. *Quid faciemus sorori nostrae? Si murus est, adificemus super eum propugnacula. Cant. 8. 8.* S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, deambulans per civitatem, vidit chorum Angelorum super domunculam, in qua vidua mulier cum tribus filiabus ita pauperibus inhabitabat, ut ad victum quaerendum laborarent, die, noctueque. Subvenit iisdem largis eleemosynis pius Pastor; ipsaeque filiae, deposito laborerio, ad fenestras frequenter stabant, ut facilius sibi de marito providerent. Cum iterum eadem via transisset Sanctus Archiepiscopus, non Angelos, sed Demones super praedicta domuncula vidit salantes, stupefactus se informat de moribus puellarum? quas ut intellexit otiosas, & monuit, & subtractione eleemosynae amplissimae ab illo defectu fecit emendatas. P. Menochius in *Stoicis centur.* 2. cap. 72.

- 29 *Decimoseptimò*: Major est iniquitas illarum Matrum, quae filiabus suis pectus, humeros, & brachia denudant, crines exornant, ut Viris placeant; ut aspiciantur, à pluribus sibi deserviantur; & tanquam Idola venerentur. Audivimus enim sunt illarum omnium vulparum, quas committunt corde, & oculis dilectores filiarum; de quibus ait Dominus: *Contrivi oculos eorum fornicantes post idola sua. Ezech. 6. 9.* Siquidem, ut cecinit Ovidius.

Lis est cum forma magna pudicitia.

- 30 *Decimooctavo*: At maxima est culpa earundem Matrum ducentium easdem filias ad saltationes, & choreas; & permittentes, ut eadem solae cum solo adolescente loquantur, tangantur, & conversentur. Contra hunc abusum exclamat melissius Sanctus Bernardus, amarissimo dolore plenus his verbis: *Intrat solus ad solam? veh, veh. Lupus ad oviculam.* Et quod genitores mortaliter peccent, talem libertatem concedentes filiabus, docent. Navarrus in *Summ. c. 14. n. 18.* Et Bonacina de *Præcept. Decalog. disp. 3. sect. Unic. punct. 6. n. 3.*

- 31 *Decimonono*: Peccant genitores, qui filios suos adultos nimia severitate tractant, eosdem injuriis, & contumeliosis verbis afficientes, sicque eosdem ad iracundiam, & ad inobedientiam, atque contemptum provocantes; quos deberent ex paterno officio suaviter, & cum charitate admonere, juxta præceptum Apostoli: *Patres, nolite provocare ad iracundiam filios vestros; sed educate illos in disciplina, & correptione Domini. Ephes. 6. 4.*

- 32 *Vigesimo*: Crimen lethale incurrunt Patresfamilias; qui, ut filios suos divites faciant, & lo-

cupletes post se relinquunt, incidunt in radicem omnium malorum, idest in Avaritiam, contractus illicitos, & usurarios frequentantes, innumeras fraudes committentes, legata pia, livellos, mercedes operariorum non solventes, quasunque eleemosynas à domo sua eliminantes; unde sequitur, non solum perditio animae genitorum; sed totalis ruina, atque desolatio posteritatis, excidium filiorum, hereditatisque confiscatio; cuius veritatis non sunt necessaria testimonia, siquidem quotidiana experientia illam irrefragabiliter confirmat, juxta adagium, *Male parta, male dilabuntur.* Ait enim Scriptura; *Avaro nihil est scelestius. Eccles. 10. 9.* Et nos satis egimus de effectibus avaritiae supra *Decis. 137.*

Vigesimoprimum: Peccant Pater, & Mater clericalem vitam suadentes Filio, cui ad illam nulla est propensio, nulla vocatio coelestis, nullus amor castitatis. Et quamvis scriptum sit: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Hebr. 5. 4.* fatagunt, ut filii obtineant vel Canonicatum, vel Beneficia, etiam cum cura animarum, dummodo sint amplius ditata proventibus; non praevidentes excidium salutis aeternae ob innumera peccata ejusdem Filii Canonici, seu beneficiati, non incedentis in habitu, & tonsura, non recitantis horas canonicas, non viventis cum castitate, non exercentis proprium officium, abutentis redditibus Ecclesiasticis, infelicitate viventis, & infelicius morientis, quasi Poema quoddam esset illud seriosum Redemptoris monitum: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patitur? Matth. 16. 26.* Agnovi genitores cujusdam filii, quem etsi pervicacem clericalem vitam assumere fecerunt, & omnes ordines etiam Sacerdotium. Non contenti adhuc procurarunt, ut beneficium cum cura animarum haberet, & illud sibi moniacè ab alio Presbytero ei resignare fecerunt. Filius hic discipulus factus Parochus assumpsit sibi Capellanum, qui animarum curae vacaret. In una nocte carnisprivii Parochus mittit Capellanum cum sclopo ad conducendas adolescentulas, ut secum cœnarent, & saltarent. Capellanus ivit, sed nullas invenit, quae vellent venire. Redeunti Capellano Parochus ut timorem incuteret ad ridendum obviam vadit in tenebris, & ait; *Chi va lì? torna indietro.* Capellanus credens esse aliquem latronem exoneravit sclopo in eum, ac in pectore igneis, plumbeisque globulis vulneravit, & statim Parochus in terram cecidit, & occubuit. En finis lachrymabilis filii ad beneficium absque vocatione provecti.

Vigesimosecundo: Pejus agunt genitores, quando filios, vel corpore, vel ingenio non perfectos, eosque reluctantes in Regulare institutum intrudunt, trinus votis illos onerantes, quorum observantiam nunquam praestabunt, solo temporalis felicitatis motivo, qua Regulares otiosi, absque labore (& ut dicunt) ad sonum campanulae viventes, potiuntur. Hinc Regularis, & Monastici Habitus detrimenta, dum plurimi absque vocatione, & reluctantes professi, inobedientes, incontinentes, scandalosi, & apostatae à Religione cernuntur. Utinam considerarent eorum genitores magnam hanc Dei offensam; qui iussit in Levitico nullam sibi victimam offerri, cui esset aliqua macula. *Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret. Levit. 1. 3.*

Gg

Vige-

36. *Vigesimotertio*: Pessimè operantur Patres, & Matres, à quibus filia, contra earum voluntatem, coguntur ingredi Monasteria, & Moniales fieri; adeo ut per totam vitam sunt similes Filia Jephtæ, quæ cum sociis, ac sodalibus suis sebat virginitatem suam in montibus. *Judic. 11. 38.* Meminisse eos oporteret excommunicationis fulminatæ à Sacro Tridentino Concilio *sess. 25. de Regular. cap. 18.* contra illos, qui Quomodocumque coegerint aliquam Virginem, vel viduam, aut aliam quancunque mulierem invitam ad ingrediendum Monasterium.

37. *Vigesimoquarto*: Peccant Genitores, qui vel nimis tardant ex avaritia in maritandis filiabus; vel eas nuptui tradunt sine earum assensu, volentes, ut nubant cui neque genium, neque amorem habent, & prohibentes, ne ducant in maritum, quem omnino cupiunt. Quamvis enim filia optime facerent in nuptiis pendere à gubernio, & providentia Patris, nihilominus Pater Jus non habet violandi arbitrium filiarum in hac materia. *cap. de Nuptis. 31. quæst. 1. S. Thomas 2. 2. quæst. 204. art. 5. Gobat tract. 10. n. 103. & n. 104. ubi reddit eam rationem; Quod quis non eligit, non diligit. cap. præfens 20. q. 3. Excipitur tamen casus, si infami personæ nubere vellet ipsa Filia. Sanchez de Matrim. lib. 1. disp. 14. num. 4.*

En igitur quot, & quanta peccata committunt Patres, & Matres familias intuitu, & occasione filiorum, quæ sicut non me pinguat colligere, ita Parochos, & Verbi Dei Dispensatores non tædeat legere; ut in Congregationibus, seu Concionibus de illis agere, ad evitacionem, & correctionem possint.

Dicamus nunc remedia, argumenta, & rationes, quibus per Parochos & Concionatores suadendi veniunt iidem Patres familias, ac Matres ad bonam educationem filiorum.

38. *Primo*: Considerandum, esse Præceptum naturale, quo Patres, & Matres tenentur bene educare filios, & ad hunc effectum esse indissolubile conjugium. *S. Thomas contra Gent. lib. 3. capit. 122. & seqq. Tostatus in capit. 19. Matth. quæst. 23. & quæst. 45.*

39. *Secundo*: Esse adeo necessariam bonam educationem filiorum, ut sine illa nihil profuturæ sint leges; & ideo Lacedæmones, ubi filii deliquissent, puniebant eorum genitores. *Plutarchus in Lacon. & Plato lib. 4. de Legib.*

40. *Tertio*: Hoc autem est genitoribus expressè injunctum à Spiritu Sancto in illis verbis: *Filii tibi sunt? erudi illos; & curva illos à pueritia illorum. Filia tibi sunt? serva corpus illarum; & non ostendas bilarem faciem tuam ad illas. Eccl. 7. 25. Et alibi: Qui parit virga, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit. Prov. 13. 24.*

41. *Quarto*: Attentissimos oportet esse Genitores in bona gnatorum educatione, quia in tenera ætate facillime apprehendunt bonum; difficillime cum adoleverint. *Innocens credit omni Verbo. Filio doloso nihil erit boni. Prov. 14. 15.*

42. *Quinto*: Hoc confirmatur exemplo S. Wenceslai, & Boleslai fratrum Principum Bohemiæ. Ille pessimè educatus à Drahomira vitiosa ejus Matre, pessimus fuit, carnifex, & fraticida. S. Wenceslai pie eruditus à Ludmilla Sancta ejus avia, Sanctus fuit. *Leet. Brev. die 28. Sept.*

43. *Sexto*: Idcirco Genitores habere à Natura, & sic à Deo naturæ Authore, auctoritatem coercedi, & castigandi filios, ne in die judicii habeant excusationem super mala educatione eorumdem;

quemadmodum inexcusabilis est Dux exercitus, si milites sint inobedientes: eò quia à Principe, Rege, & Republica habet summam auctoritatem illos condemnandi. Timeant igitur Parentes judicium Dei; ait enim, *Ego sum Dominus visitans iniquitatem Patrum in filiis. Exod. 20. 5.*

44. *Septimo*: Præcipue Matres monendæ, ut filios, & filias devotionem doceant; nam ut ait Arist. 1. *Polit. capit. 8. Dimidium filiorum Mater est: & evadunt Filii, quales fieri à Matribus desiderantur. Mater S. Clementis Ancyranus cupiebat eum esse Martyrem, continua narrabat illi exempla Martyrum; exaudita fuit, nam ejus filius meruit laureola martyrii coronari. Mater S. Ludovici Francorum Regis exoptabat illum Sanctum, unde ei frequenter dicebat, mi Fili, eligerem te mortuum videre potius, quam peccantem, & obtinuit intentum; fuit enim Rex Sanctus. Mater S. Edmundi concupivit, eum esse Virginem, & assequuta est desiderium. Sic obtinuerunt plurimæ alia Matres, Mater S. Augustini, Mater S. Andree Corfini, S. Heduvigis Regina Poloniæ, & S. Margarita Scotorum Regina, de qua testatur Ecclesia; quod ipsa Regem conjugem ad meliorem frugem, & ad similia suis exercitationibus opera saluberrimo exemplo traduxit; Liberosque omnes tam sancte, ac feliciter educavit, ut eorum plerique, quemadmodum & Agatha mater, & Christiana soror, Sanctissimum vitam genus amplexi sint. *Leet. 5. Brev. 8. Julii. Tigridia soror S. Patritii nupta Regi Hiberno, ex eodem genuit decem, & septem filios masculos, quorum quatuor fuerunt Episcopi, & alii Religiosi; item quinque sceminas, quæ Deo voverunt Virginitatem, ob sanctitatem, quam in Matre intuebantur. Hieronymus à Basilica Petri in Ephemerid. Sacris 17. Februar. in Vita S. Lomani filii ejusdem Tigridiæ.**

45. *Octavo*: Non esse amittendum tempus pueritiæ filiorum; nam cum teneri sunt, optime erudiuntur. Creta antequam induretur, informatur juxta placitum figuli. Statura pueri in triennio est tertia pars altitudinis, ad quam ascendet in virilitate. Quales esse incipient pueri trini, tales erunt, cum adoleverint. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22. 6.*

46. *Nono*: Dandum catuli similitudinem, qui si in coquina educatur, non erit aptus ad venationem. Ita filii male educati primis annis fiunt inhabiles ad virtutem. *Ossa ejus implebuntur vitis adolescentia ejus, & cum eo in pulvere dormient. Job. 20. 11.*

47. *Decimo*: Sicut omnes Eclipses Solis sunt nocivæ; tamen magis nocent illæ, quæ fiunt de mane. Ptolomæus *Prædict. lib. 1. c. 7. Ita sunt malæ qualitates, quæ à Filiis assumuntur in infantia. Difficillime curantur. Puerum à Dæmone obsessum Apostoli liberare non potuerunt: opus fuit suprema Auctoritate Christi; eò quia Diabolus cæperat eum possidere ab infantia. Marc. 9. 22. Hinc illud Axioma legale; Cujusque rei potissima pars, principium est. l. Faustus, ff. de Orig. Jur.*

48. *Undecimo*: Inculcandum propterea jugiter iidem Patribus, ut bene educant filios, & ne permittant, eos peccare; quia peccata filiorum imputantur iisdem Patribus. Hinc filia, quæ prodigisset Virginitatem suam, lapidabatur ante ostium domus paternæ, ut & pater dolore, & ignominia afficeretur. *Deuteron. 22. 21, ubi Oleast. & Summus Sacerdos Heli reprehensus, & punitus ob peccata filiorum, quasi ipse illa commisisset: Quare calce abiecitis Vestimentam meam, & muneram meam, quæ præcepi, ut offerrentur in Templo? Abulens, in 1. Reg. 2. 29.*

Duo de-

49 *Duodecimò*: Qui audit Horologium inconcinne sonare, damnat custodem. Qui sentit balbutientem Virum, detestatur obstetricem. Qui videt tortis cruribus puellam ambulantiem, dolet de nutrice: sic qui filios observat male educatos, eorumdem genitores condemnat, eosque vocat *Non Parentes, sed Peremptores*. S. Bernardus *Epist.* 3.

50 *Decimotertiò*: Monendos itaque conjuges, quod Deus, etsi creaverit in instanti omnes Angelos, noluit omnes homines unico verbo ex nihilo facere; sed decrevit, eisdem vitam successivis temporibus, mediante cooperatione conjugum elargiri; ut iidem conjuges scirent, se esse Dei cooperatores, consecrati ad hoc opus in Matrimonii Sacramento, & ideo sollicitos esse oportere in bene educanda prole: *Non enim est bonum vivere, sed bene vivere*. Seneca *lib. 3. de Benef. cap. 29.*

51 *Decimoquarto*: Eosdem instruendos, communem esse utrique conjugii hanc obligationem; & hic suaviter reprehendendi Patres, qui nunquam domi genuflectunt, orationes recitaturi, nunquam ad doctrinam Christianam filios conducunt; sed hoc onus soli mulieri relinquunt; & nihilominus de Patre, ac Matre dictum est filiis: *Audi fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tue*. Prov. 1. 8.

52 *Decimoquinto*: Idcirco, ut diximus, peccant mortaliter Patres, qui non curant filios suos erudiri in Doctrina Christiana; nam sicut Episcopus potest plectere poenis Parochos negligentes in illos eam docendo. Pignatellus *to. 4. cons. 202. nu. 60.* ita excommunicare potest ipsos patres. Castropal. *tom. 1. tr. 4. disp. 1. punct. 11. nu. 3.* Et Sanchez in *Decalog. lib. 2. cap. 3. nu. 15.*

53 *Decimosexto*: Narratur exemplum illud Presbyteri in Synodo prædicaturi, cui cum deficeret materia, ex Dei permissione apparuit Satan dicens, prædica in Synodo, & dic, *Princeps tenebrarum gratias agit Principibus Ecclesiarum, ob eorum negligentiam in docendo populum doctrinam Christianam*; ex tali namque ignorantia populatur infernus: & in signum tetigit ejus maxillam, quam nigerrimam reddidit. Cantipraten. *l. 1. c. 20.*

54 *Decimosextimo*: Hortentur Genitores, non tenero, atque sensitivo amore prosequi natos; sed charitate paterna, & virtuosa. Olim infantes aspergebantur sale, ut membra durefcerent; nunc parentes cooperiunt eos Zaccaro, ob nimium amorem, quo emolliores, & magis inhabiles ad disciplinam evadunt. S. Hieronymus in *c. 16. Ezech.* Scriptum est: *Tunde latera ejus, dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor anima*. Eccl. 30. 12. Difficile cessant Venti insurgentes in Aurora. Bacon. in *Hist. Ventor.* Difficillime deponuntur vitia, quæ in tenera ætate assumuntur.

55 *Decimo octavo*: Sit tamen modus in educandis filiis, & ut notavimus, sicut à nimia dulcedine, sic ab excessiva asperitate cavendum. Plurimum juvant admonitiones paternæ cum charitate. Aqua dulcis aptior est, quam aqua maris ad abstergendas maculas; hæc enim uti crassior minus penetrat vestimentum. Aristotel. in *Problem. sect. 23.*

56 *Decimonono*: Incessanter hortentur Parentes, ut de se bonum exemplum præbeant filiis suis. Hi opera genitorum mirantur, & tanquam legem exequantur absque alio rationis discursu. Ideo si peribit Pater ob malam vitam; trahet secum etiam filios in infernum ob malam imitationem. *Doff. Clericali Tom. II. Lib. IX.*

Sicut unus de Principibus caderis. Psal. 81. 7. Si cadit Princeps in bello, solus non cadit, sed cum eo milites plurimi.

Vigesimo: Præcipue non permittant mares, & 57 fæminas, quamvis teneræ ætatis simul dormire, tum quia est periculum occultæ malitiæ, tum quia est in Jure prohibitum *cap. Consuluit. 2. q. 5.*

Vigesimoprimum: Quod si quis Pater esset publicus adulter, vel concubinaris; & tam grande scandalum præberet filiis suis; utique Expediret ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. *Matth. 18. 6.*

Vigesimosecundo: Dicendum his Patribus familiis, quod de ipsis dolet Deus Pater, à quo donati sunt fecunditate, ut filios bene educarent. Dolet Deus Filius, qui assumpsit eos cooperatores in redemptione animarum. Dolet Deus Spiritus Sanctus, quia non dirigunt corda eorum ad recipiendas Inspirationes cœlestes. Dolet Deipara, quæ cupit videre Paradisum animabus plenum, & ob malam educationem ruunt ad Orcum. Dolent Angeli Custodes, qui sua adfidentia frustrantur. Dolent Sancti, nam privantur sociis, & concivibus. Dolet Respublica, quia habet perverfos subditos. Dolent ipsi Filii male educati, qui in inferno maledicent, & blasphemabunt incessanter Genitores suos. *De Patre impio queruntur Filii, quoniam propter illum sunt in opprobrium*. Eccl. 4. 10.

Vigesimotertio: Filias nobiles servant segregatas à conspectu hominum. Ad Ecclesiam mittant illas velo coopertas, ab oculis enim incipit omne peccatum. *Turbatus est à furore oculus meus. Ps. 6. 8.* Hinc Locrenses statuerant, ut adulteris eruerentur oculi, tanquam causæ efficientes illius delicti. Valer. Maximus *lib. 6. c. 5.* Et de obligatione velandi caput, & cooperiendi faciem pluribus incedentibus in publicum plura refert. P. Menochius in *Soreis cent. 3. c. 42.* Et super omnia, non permittant, puellas cum adolescentibus conversari. Conversatio viri cum fæmina esse non potest sine peccato. S. Antonius Abbas spernebat Dæmones, ad se in forma Leonum, Ursum, ac Tigrium venientes. Sed mulieri pullanti ostium cellulæ noluit ob timorem lapsus aperire. *Argentum etsi album, si nimis tangatur, nigrescit*. Deipara segregata stabat à conspectu Virorum; & cum ab Angelo cœlesti annuntiaretur, *Turbata est in sermone ejus Luc. 1. 29.* Africa parit monstra, quia animalia diversæ speciei, ut bibant ad flumen simul conveniunt; ibidem conversantur; & excitatam libidinem mares cum fæminis alterius speciei explent, Arist. *l. 8. Hist. Animal. c. 28.* Doceant Parochi eosdem Patres, & Matres familias, ut filias ab amoribus omnino retrahant, & perniciosam illam libertatem amorizandi non permittant. Amor est violentissima passio. Duo sapientiores homines, quos mundus habuit, Adam, & Salomon, amoris causa, inciderunt in misérias inenarrabiles. *Depravatum est cor ejus, idest Salomonis, ut sequeretur Deos alienos. 3. Reg. 11. 4.* Sicut vino perditur ratio, & intellectus, ita conversatione cum mulieribus. *Vinum, & mulieres apostatare faciunt Sapientes. Eccl. 19. 2.* Etiam Poetæ morali fabula finxerunt, Stultitiam jocantem cum Amore, illum inadvertenter oculis orbasse; ideo damnata fuit secum semper ire, ac ipsum ad manus conducere; quia Amor, & Stultitia sunt inseparabiles. Quo tempore aves luxuriantur, tunc facilius incidunt in aucupantium retia. Arist. *l. 2. de Gener. Anim. cap. 1. n. 7.*

64. *Vigefimoquarto*. Denuncient Parochi Patribus familias, ac Matribus detrimenta honoris, inimicitias, homicidia, ac alia mala, quæ quotidie habentur in praxi, ob conversationem Filiorum cum viris. Ideo tollant omnino hunc abusum, non concedant filiabus hanc libertatem, Siant esse peiores Turcis, & Mahometanis, à quibus tanto studio custodiuntur foemellæ, ut nulli hominum liceat ad eas colloquendas accedere. Idem servant Ethnici, ac Pagani in Indiis Orientalibus. Considerent genitores Verba Apostoli obtestantis, quod: *Qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. 1. *Timor*. 5. 8. Qui negat fidem, salvari non potest: Igitur neque salvabitur, qui filiorum, & filiarum suarum curam non habuerit. S. Joannes Chrysostomus: *Magnum habemus depositum, filios; ingenti illos servemus cura*. Hom. 9. in 1. ad Tim. Non attendatur pessima hæc consuetudo; quia exemplum aliorum non salvabit, neque excusabit in tremendo iudicio. *Quid nobis proderit in illo Dei iudicio multitudo, ubi singuli iudicabuntur?* ait S. Eucherius de *Contemptu Mund.* Ecce dicebat Apostolus, & dicant Parochi: *Denuntiamus vobis in Nomine Domini JESU CHRISTI, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate* 2. *Thess.* 3. 6.

D E C I S I O C L I V .

A R G U M E N T U M .

Præfens Decisio manifestat, Quid sit Judicium Temerarium? Quanta ejus gravitas, & malitia? & Quibus remediis, seu rationibus obviandum sit illi?

S U M M A R I U M .

1. Judicium temerarium quid sit?
2. Judicii temerarii gradus tres.
3. Quando sit peccatum mortale?
4. Judicium temerarium est peccatum contra justitiam.
5. Præceptum prohibens temerè judicare.
6. Superiores non peccant suspiciendo de malo ex levibus indicis.
7. Judicium temerarium in intellectu non est peccatum.
8. Requisita tria ad judicandum.
9. Par in parem non habet imperium.
10. Scientia necessaria ad judicandum.
11. Totila judicium temerarium.
12. Cor hominis inservabile.
13. Pharisei temerarium judicium.
14. Judicandus nullus sine probationibus.
15. Judicare spectat ad Christum Dominum.
16. Judicia temeraria plurimum ex Sacra Scriptura.
17. S. Vitalii Abbatis zelus convertendi Meretrices.
18. Lopezii Mendoza punitio ob temerarium Judicium.
19. Theologi curiosus casus in itinere cum Oratore Venero.
20. Cajetani Cardinalis statuta, & aspectus deformis; Item Ducis Achaorum.
21. Judiciorum temerariorum infelix exitus.
22. Mulier temerè judicans peperit in pœnam filios 12.
23. S. Ignatii Lojola sapiens dictum, nè temerè judicemus alios.
24. Quilibet suos consideret defectus.
25. Temerè judicantes à Deo puniuntur.

26. Velsarii militis temerè judicantis punitio divina.

27. S. Rodesindus Episcopus resuscitat duos ob judicium temerarium à Deo morte percussos.

Dixere: Judicium temerarium esse actum intellectus, quo quis aliquid de altero non solum dubitat, & suspicatur, sed etiam desinit, & statuit absque sufficienti probatione. Quapropter tres sunt gradus Judicii temerarii, Dubitatio, Suspicio, & Desinitio; de quibus optima est similitudo Statera, seu trutinæ: hæc aliquando stat independens, & ut dicitur in bilico, ad neutram partem inclinans; talisque est dubitatio. Vel aliquantulum pendet in unam partem; & ecce Suspicio; vel præcipitat omnino; ecce Desinitio, & Judicium temerarium completum. Igitur dubitare de peccato alicujus, absque legitimis fundamentis, est primus gradus, in quo neutri parti adhæremus, sed suspendimus assensum. Suspiciari, inesse malum, cum aliquo debili assensu, sed cum formidine oppositi, est secundus gradus. Judicare opus malum cum pleno assensu, & firma animi sententia, est tertius gradus. Mastrius in Theolog. Moral. disp. 8. num. 49. Layman libr. 3. tract. 3. part. 2. cap. 2. num. 1, & Azor. rom. 3. libr. 3. capit. 11. dub. 2. & 2. Dicitur autem temerarium ex defectu sufficientis probationis; quia ubi habentur probationes concludentes, aliquem commisisse aliquod peccatum; in hoc casu iudicium non est temerarium: quod si nulla sit probatio, sed iudicium procedat ex levibus indicis, peccatum erit mortale. S. Thom. 2. 2. qu. 60. art. 2. nisi excusetur à levitate mali, de quo proximus condemnatur; vel nisi excuset non plenus assensus, itaut se contineat vel in sola dubitatione, vel in sola suspitione. Mastrius, Layman, & Azorius supra.

Gravitas hujus peccati, & malitia Judicii temerarii ex eo resultat, quod est actus contra Justitiam, lædens bonam famam proximi; cum enim tria sint proximi bona, quibus absque justa causa nemo potest privari, Vita, bona Fama, & Divitia; qui iudicium temerarium facit de proximo suo, quod aliquod peccatum commiserit, peccat contra Justitiam, auferendo intra se bonam famam, bonum nomen, & bonam opinionem ab ipso proximo; quemadmodum quis peccat delibando intra se, velle occidere proximum, vel ejus divitias furari. Mastrius, Layman, & Azor. ubi supra, qui advertunt, sic judicantem teneri ad retractandum ipsum iudicium intra se; & ad illud deponendum, quia dubia in meliorem partem sunt interpretanda. S. August. libr. 2. de Serm. Dom. in monte cap. 18. & Glossa ad Rom. capit. 14. & quia habemus expressum Præceptum: *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini*. Matth. 7. & Luc. 6. & S. Jacob capit. 1. *Nolite detrabere alterutrum fratres. Qui detrabit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrabit legi, & judicat legem: idest deficit à lege, & iudicio illius proprium iudicium antepont.* S. Thomas 2. 2. quæstion. 61. artic. 3. Molina de Just. & Jur. tract. 2. disput. 15. Duo tamen sunt notanda. Unum quod ex levibus indicis non peccat, si suspicetur malum ille, cui ex officio incumbit, ut Prælato, Patri, Matrique familias malis obviare; dummodo prudenter se gerant, in remediis applicandis, absque læsione bonæ famæ illius, de quo suspicantur. Molina tract. 4. disp. 14. Layman dict. lib. 3. tract. 3. part. 2. cap. 2. num. 4. *Verum amen.* Alit.